

No. 85. 1382. 14. Juli.

*Cardinal Pileus bestätigt die Fronleichnambrüderschaft zu Dresden sowie die von derselben gestiftete Donnerstagsmesse und erteilt den andächtigen und mildthätigen Besuchern dieser Messe Ablass.*

Pileus miseratione divina tituli sanctae Braxedis presbyter cardinalis ad infra-scripta apostolica auctoritate suffulti dilectis nobis in Christo fratribus fraternitatis Corporis Christi in Dresden Misnensis diocesis salutem in domino. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere assensum et vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Sane nobis pridem pro parte vestra oblata petitio continebat, [quod] vos et quidam alii incolae et opidani opidi Dresdensis praedicti ad honorem et laudem sacrosanctissimi corporis dominici et augmentum cultus divini quandam fraternitatem inter vos fecistis iniistis et ordinastis, ita ut per vos et alios presbyteros seu clericos quandam missam singulis quintis feriis ad honorem ipsius sacrosanctissimi sacramenti dominici corporis sollemniter instituistis decantandam, quae etiam cum sollemnitatibus et ceremoniis debitis adiunctis et adhibitis singulis dictis quintis feriis per vos et alios supervenientes decantatur, ad quam etiam specialis devotio Christi fidelium prout accepimus habetur et in qua in fine sequentiae per ipsum presbyterum officiantem et ad ipsam missam ministrantem ipsum sacramentum dominicum in birillum consecratum positum christifideli populo astanti cantante presbytero, ‚Ecce panis angelorum‘ demonstratur. Nos igitur volentes cultum divinum in quantum in nobis est augmentare ac vestris supplicationibus inclinati dictam fraternitatem per vos ut praemittitur conceptam initam et ordinatam et alia inde secuta prout provide factae sunt atque gestae ratas habentes atque gratas eas auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte tenore praesentium approbamus confirmamus et praesentis scripti patrocinio commmunimus. Ceterum vero cupientes quoslibet christianae fidei professores per indulgentiarum praemia ad pietatis studia excitare, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis et auctoritate praedicta confisi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui decantationi dictae missae devote interfuerint aut pro reparatione ornamentorum et luminarium dictae missae manus porrexerint adiutrices, centum dies de iniunctis eis poenitentiis auctoritate praelibata misericorditer in domino relaxamus. Nulli ergo hominum etc. Si quis autem etc. Datum Pragae pridie Idus Julii pontificatus [sanctissimi] in Christo patris et domini nostri domini Urbani divina providentia papae VI. anno quarto.

Nach einer ungenauen Abschrift aus dem 15. Jhdt. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.